


**05
A
2394**



Ex Practicâ Philosophiâ
de
Magnanimitate, Modestiâ
& Mansuetudine,
Duce Deo & Præside
M. MICHAELE WENDELO,
Facult. Philos. Adjuncto,
Johannes Cadener Pirnensis
publicè disputabit
ad diem 12. Januarij horis matutinis
in Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.
Anno M DC XXXIX.





05 A 02394

Continuatio.

Virtutes, quibus nos honeste erga alios gerere debemus, requirunt objectum externum, quod secatur in res externas & conversationem. Externares distribuuntur in sumtus & honores. Circa sumtus occupatas virtutes expeditivimus, quibus succedunt legitima bonorum directrices, ex quibus magnos Magnanimitas, mediocres Modestia regit. In conversatione respicitur vel familiaritas vel actio ipsa. In familiaritate habetur vel serium, vel verum, vel jocosum. Hinc Homilitica oriuntur virtutes. Actio est vel nostra erga alios, quam Justitia, vel aliorum erga nos, quam Mansuetudo ritè conformat. Homiliticas & Justitiam fuimus contemplati. Superest Mansuetudo. Tria ergò totius exercitij membra, quorum primum explicat Magnanimitatem, secundum Modestiam, tertiumq; Mansuetudinem ordine consueto.

Membri Primi Præcepta.

1. Magnanimitas est virtus moralis, quæ servat mediocritatem circa dignitates majores.
2. Ejus extrema sunt Inflatio & Pusillanimitas.
3. Inflatio est vitium morale, quod in excessu peccat circa dignitates majores.
4. Pusillanimitas est vitium morale, quod in defectu peccat circa dignitates majores.

Explicationes.

1. §. Magnanimitas apud Latinos nomen acquirit à magno animo, quia ad hanc virtutem maximè requiritur. Magnus autem animus est is, qui ad magna adspirat, & ea sola cogitat. Cùm

A 2

verò

verò præter virtutem in rebus humanis nihil sit verè magnum,
etiam magnus animus soli virtuti velificatur.

2. §. Acceptio hujus est gemina: *generalis & specialis*. Gene-
raliter sumitur pro quacunque virtute circa magna, difficultia & ar-
dua versante. Specialiter pro illâ virtute, quæ circa magnos ho-
nores occupata est.

Obiectum ejus duplex: Generale & Speciale. Generale
est quodvis magnum in rebus & actionibus humanis, quo quis di-
gnum se existimare potest. Probat id Etymologia, magnanimitati
descriptio, & tandem Magnanimitatis extrema, quæ à medio in
magnis rebus gerendis abscedunt.

§. 4. Speciale objectum est *magnus honor*. Hoc stabiliunt se-
quentia duo argumenta: Omnis virtus, quæ versatur circa magna,
etiam circa ea, quæ magis existunt perfecta. Nam virtutis pro-
prium est contendere ad summum gradum. Magnanimitas est
virtus, quæ versatur circa magna. E. Ulterius: Qui, quid versatur
circa maxima, versabitur circa unum aliquod bonum, quod inter
cætera est maximum. Ratio, quia omnia, quæ ad summum per-
venerunt gradum, non multitudinem sed unum tantum summum
in unoquoque genere agnoscent. Potrò cùm magnanimus se
dignum judicet uno aliquo maximo bono, quale est dignitas, illud
est extra magnanimum, adeoque externum. Dignitas enim, quæ
est alicujus rei dignitas, est in numero relatorum: relativa autem
referuntur ad aliquod externum, non internum. Hoc enim est
instar fundamenii, cujus terminus foras est querendus. Tandem:
Omnis qui dignus maximo uno bono externo, dignus est honore.
Honor enim inter externa bona est bonum maximum. Pater-
hoc, quia honor præcipue Deo debetur, & qui in hoc mundo vi-
ces Dei gerunt, Magistratui, senioribus, parentibus &c: Deinde
quia est præmium virtutis. Magnanimus est dignus, ut fuit pro-
batum, maximo uno & externo bono. E. si hoc, etiam magnus
honor est proprium hujus virtutis objectum. Quod demonstrandum
nobis incumbebat.

§. 5. Magnanimitatis objectum esse honorem magnum, ad-
probant extrema, quæ hinc virtuti opponuntur. Hæc autem ver-
santur circa honorem, ut mox videtur. E. etiam virtus ipsa.

Major:

267. Sp. 1

Major patet, quia semper unum idemque est objectum virtutis
atque extremitum.

6. §. Circa objectum speciale considerandi veniunt actus &
modi. Actus sunt appetitio, acceptio, conservatio & perficitio.
Modi in his quatuor actibus notandi considerantur respectu vel ho-
noris, vel fortunæ, vel virtutum, vel denique conversationis in
communi vita.

7. §. Primo respectu honoris magnanimus magnis quidem
gaudet honoribus, sed secundum honestatis præscriptum. Appeti-
tit non cupide, non anxie, sed moderate, sed jure quodam ad il-
lustranda animi bona: præterum, bono publico & præsente rerum
statu permittente. Deinde non quosvis arripit, sed magnos & ve-
ros à bonis virtutis & in magna autoritate constitutis delatos. Nam
eadem jucunda laus est, qua ab iis proficiuntur, qui ipsi in laude
vixerunt.

8. §. Respectu utriusque fortunæ servat constantiam ita, ut in
rebus secundis non infelicatur, nec in adversis frangatur, sed utro-
bique auream observet mediocritatem.

9. §. Respectu virtutum in omnibus actionibus magnum ostendit animum. Circa fortitudinem ita est occupatus, ut non sit
Φιλοκινδυνός, neque υπερκινδυνός sed μεγαλοκινδυνός. Adit
pericula talia, in quibus animi sui magnitudinem & fortitudinem
cum honore & laude Reipublicæque utilitate declarare potest. Vo-
luptatibus honestis moderate utitur: In beneficis conferendis est
promptus: In accipiendo tardus & verecundus. Dare enim præ-
stantius, quam accipere; & qui accipit beneficium, danus quasi fit
debitor. Quod ipsum magnanimus aversatur, quia semper cupit
excellere & superior esse. In remunerando majori mensurâ red-
dit, quam accipit. Nam sic alterum sibi novo obligat beneficio.
Acceptorum beneficiorum obliviscitur, vel quod statim illa com-
penser, vel quod hæc commemoratio sit quasi exprobratio accepti
beneficij. E contrario beneficiorum, que alius exhibuit, semper
recordatur; hæc enim recordatio insignem ipsi afferit oblectationem.
In perendo excepto evidente necessitatibus calum nemini mo-
lestat exhibet, cum hoc sit supplicis. Supplicem autem fieri
cum magnanimo pugnat.

10. §. In Mansuetudine injurias, quibus afficitur, despicit, neq;
vindictæ cupidus, sed facillimè delinquentibus ignoscit. Hoc
enim est magni animi proprium, placidum esse tranquillumque.
In Justitiâ sedulò cavet, ne ob bona fortunæ cuiquam faciat in-
juriam. In veracitate mavult esse, quam videri bonus. Ideò
& in verbis & in actionibus magis spectat veritatem, quam alio-
rum opiniones. Et sic non est εἰρωνή h. e. dissimulator, neque
κολακέυματος, h. e. adulator, sed παρόποιασικός. In amicitiâ co-
lendâ est Φανερόφηλος. Quem amat vel odit, id aperte & ver-
bis & factis testatur, non metuens aliorum offensiones, quia scit,
se habere sui amoris vel odii justas causas.

11. §. In familiaribus congressibus habet rationem personarum, cum quibus conversatur. Claris clarum se ostentat ob vir-
tutem, quæ sola homini claritatem conciliat: Insimis modestum,
ne videatur eos contemnere: mediis ita, quod his non sit inferior,
sed æqualis. Loca honorata frequentat, ut illis suâ præsentîâ ali-
quem afferat honorem. Nam secundum Tullium, non domo do-
minus, sed dominus domo honestanda est. Loca, in quibus alii
primas obtinent, non adit, ne plus, quam decet, sese submittere
cogatur: In administrandis negotiis diligenter omnia, priusquam
tractet, attendit, alienis se se non immiscet, obscura in differenter
non aggreditur, sed res magnas, ex quibus laus promanat. Nam
sæpè nimia festinatio magis impedit, quam ut promoteat: Indi-
cium est πολυτελέγμου pati, sibi imponi quævis negotia: Stul-
titiae signum, maiores res suscipere, quam vires possunt fer-
re.

12. §. In familiaribus colloquiis de aliis parùm loquitur;
hoc enim est imperitorum. Multò minus curat, num alii bene
vel male agant, sed tantum in hoc unicè, ut sua negotia instituat,
ne contra honestatem delinquat. Itaque laudare, obtrectare,
admirari à magnanimo procul absunt. Admiratio enim est judi-
cii defectus, quo sit, ut res, quas admiramur, magni faciamus.
Magnanimus autem nihil, exceptâ virtute, magnum judicat, quia
hujus adminiculo res magnas efficit, & quidvis consequi se pos-
se non diffidit. In victu & amictu neque querulus neque im-
portunus existit, ne videatur ea, quæ à fortunâ dependent, ma-
gnifica.

gnificare. Tardo & gravi gaudet incessu, cùm velox sit nota levitatis. Vox non est stentorea, sed gravis & submissa. Oratione non est præceps, perturbata & interrupta, sed constans, sedata & æquabilis, animum tranquillum, sedatum & constantem indicans.

13. §. Extrema in præceptis adponimus duo, Pusillanimitatem in defectu, atque Inflationem in excessu. Nota, hæc quidem esse vitiosa, quatenus à mediocritate declinant, non tamen conjuncta cum aliquâ malitiâ. Non enim homini dedecus aut ignominiam conciliant, ut ob hæc malus audiat, nomenque boni viri amittat, quia taliter peccans sibi solùm, non aliis propriè nocet.

14. §. Pusillanimitas (*alias animi abjectio & demissio*) tale est vitium, quo quis se iis, quibus dignus est honoribus, indignum judicat. Pusillanimis enim quamvis à naturâ habet adjumenta rerum illustrium gerendarum, tamen Reip. gubernationem non suscipit, sed cunctatur, tandemque, accedente ignavia, de magnis desperat. Peccat quatuor modis: 1. Erga semetipsum & virtutem quodammodo est injustus, cùm dignitati suæ convenientia non appetat. 2. Malam suspicionem de semetipso aliis excitat, quasi sibi conscius sit alicujus delicti. 3. Delinquit, dum non agnoscit bona à Deo accepta, ut illis Ecclesiæ & Republicæ prospicit. 4. Defraudat se plurimis bonis, quas consequeretur, si rebus agendis studeret.

15. §. Extremum in excessu Inflatio (*alias superbia, fastus, arrogancia, animi elatio*) indigitatur. Tale est vitium, quo quis se majoribus, quam dignus est honoribus, dignum judicat. Originem dicit ex sui ipsius amore, quo quis plus, quam meretur, sibi tribuit. Hujus farinæ homo peccat in semetipsum, dum plus sibi tribuit, aut tribui vult, quam par est: in alios, quos despiciatui habet. Deinde stultiæ arguitur, quia suscipit res suis viribus maiores, quas post efficere nequit.

16. §. Tandem sub finem observandum, quod Pusillanimitas medio magis, quam superbia, contrarietur. Primum quia Pusillanimis sunt frequentiores, quam arrogantes, quod major hominum in vita civili pars prematur paupertate, ob quam non audent

audent affectare honores. Itaque neglectis his circa vitæ necessaria comparanda sunt occupati. Deinde quia animum à rebus gerendis arcet, nec ad gloriam, quâ post virtutem inter bona civilia nullum majus est, ascendere permittit. Contrà, qui honoris cupiditate tangitur, ad res arduas, quibus nomen sibi comparare potest, administrandas facile adducitur.

QUÆSTIONES.)

Questio Prima,

Num Magnanimitas sit Virtus?

Affirmamus ob sequentes rationes: 1. Ubi sunt diversa objecta, etiam diversæ species. Hic sunt &c: E. Magnanimitas enim ab aliis virtutibus differt objectis, vñ honoribus, quos, exceptâ Modestiâ, cum nullâ alia habet communes. 2. Quia inter duo extrema obtinet medium, quod solius est virtutis. Minor patet ex explicationibus. 3. Quia est habitus electivus in mediocritate quo ad nos constitutus &c: Cui autem competit definitio, etiam definitum competere necessum est. 4. Quicquid hominem immorum actione reddit perfectum, est virtus. Magnanimitas &c: E. 5. Tandem quia huic competit omnia virtutis requisita, nempe recta ratio, judicium prudentis, mediocritas, honestas, honores maximi, tanquam proprium objectum.

Questio Secunda.

An Magnanimus sit vir optimus?

Affirmativam iterum tuemur. Rationes sequuntur: 1. Quia magnanimus maximis præmiis dignus est. Omnis autem, qui melioribus dignus, & melior reliquis sit necesse est, & qui dignus optimis, & optimus existat, oportet. 2. Qui in unâ quaque virtute agit id, quod maximè excellit, iste est optimus. Magnanimus, ut explicationes demonstrant, agit id. E. 3. Quia virtutis causâ magnas suscipit actiones, neque aliquid, quod cum turpitudine sit coniunctum, committit. 4. Quia ambit honorem, tanquam rem jure debitam ob virtutis, quâ prædictus est, excellentiam. Ergo est optimus. Aliás enim ridiculus esset, imò ineptè faceret, eò quod maximos affectaret honores, cùm honor tantum debeat virtuti,

virtuti, cuius est proprium præmium. Hinc rectè concludimus,
Magnanimum esse virum optimum.

Quæstio Tertia.

An Magnanimus injuriam recordari debeat?

Negativa, cui favemus, sequentibus initititur fundamentis:

1. Quia recordari atque ulcisci injuriam cum officio magnanimi pugnat. Hic enim in utrâque fortunâ immoti & prudentis est animi. Talis autem non modò non infert, sed nec quidem refert injuriam, quia hæc insapiente non invenit locum. 2. Quia privato odio ulcisci injuriam est animi imbecillis, & temperamenti fœminei. Vindicta enim nemo magis gaudet, quam fœmina. 3. Quia virum magnanimum decet esse fortem & placidam, qui in perferendis injuriis affectus sciat cohibere. Nihil enim secundum Ciceronem laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius est placabilitate atque clementia. 4. Quia vindicta Deo, cuius est ultio, & qui retribuit, committi debet.

Quæstio Quartæ.

Num Magnanimus majorem rationem vitiæ, quam honoris & famæ, habere debeat?

1. §. Distinguimus inter verum & falsum honorem, nec non inter veram & falsam infamiam. Major veri honoris conservandi & huic oppositæ infamiae veræ fugiendæ ratio habenda, quam vitæ. Ideoque magnanimo, cum sciat, verum honorem à veræ virtutis meritis originem trahere, veramque infamiam à malefactis & flagitiis dependere, veri honoris conservandi, veraque infamiae declinandæ gratiâ, moriendum potius, quam vivendum, ubi hæc duo in discrimen veniant, & alterutrum necessariò sit eligendum.

2. §. Quoad falsum honorem, falsamque infamiam, quæ non à rebus, sed ab umbratili hominum opinione proficiuntur, hujus minor, quam vitæ est habenda ratio. Itaque magnanimus hic mortem prævitâ non elit, quia mens recti conscientia famæ mendacia ridet. Fama enim mala virum bonum malum non facit,

B

non

non fecus, ac bona fama virum malum non facit bonum, si talis antea non fuerit.

Questio Quinta.

An quis honoris sui tuendi gratiâ injuriantem licitè vulnerare vel planè occidere possit?

Negamus. Honoris defensio tantum est permissa, & quidem non omnis, sed moderata, non autem vindicatio. Igitur qui injuriantem vulnerat, aut occidit, suum honorem non defendit, sed propriam vindictam exercet.

Questio Sexta.

An aliquis magis sollicitus esse debeat de tribuendo, quàm recipiendo, honore?

1. §. Prius esse amplectendum sequentes afferunt rationes:
1. quia melius est honorare, quàm honorari, non tantum, quia actio præstat passione, & datio melior est acceptione; sed etiam quia debiti honoris collatio absque vicio à viro bono prætermitti non potest. Is autem, qui debito defraudatur honore, extra omnem culpam est. Admittit honorem, ubi desertur, non tamen cum arroganter & sollicitè querit.

2. §. Quia ambitiosi malunt honorari, quàm honorare. Igitur verum veræ virtutis studiosum magis oportet esse vigilantem de tribuendo alii, quàm recipiendo. 3. Quia honor magis est honorantis & ab ejusdem iudicio, affectu & præelectione dependet. 3. Quia vir bonus, dum alteri debitum attribuit honorem, officio suo probè fungitur, quamvis ipse nullum recipiat.

Membri Secundi

Præcepta.

1. Modestia est virtus moralis, quæ servat mediocritatem circa dignitates minores.

2. Ejus extrema sunt Ambitio & honorum contemptus.

3. Ambitio

3. Ambitio est vitium morale, quod in excessu peccat circa dignitates minores.

4. Honorum contemnitus est vitium morale, quod in defectu peccat circa dignitates minores.

Explicationes.

1. §. Sequitur ea virtus, quæ circa mediocres occupata est honores, diciturque Modestia. Synonyma plurimæ apud diversos autores occurunt. Appellatur studium honoris, moderatum, honoris studium, moderata honoris appetitio, ambitio, Φιλοτιμία, ἐνΦιλοτιμίᾳ.

2. §. Sumitur generalissimè pro omnium virtutum moderato usu. 2. Pro bonâ dispositione à Stoicis. 3. Pro Temperantia. 4. Pro verecundiâ & pudore, qui conspicitur circa gestus corporis & mores externos in loquendo, ridendo, stando, incedendo, gaudendo. 5. Specialiter pro virtute, que appetitum aut fugam honorum mediocriū moderatur.

3. §. Objectum sunt honores, non omnes, sed mediocres. Virtutis autem alicujus esse circa mediocres honores versari patet: 1. quia in modicis honoribus experendis aspernandisq; dantur virtus. Ergò etiam virtus 2. Quia in modicis honoribus locum habet laus & vituperium. Nam qui parvos moderatè expetit aut respuit, laudatur, &c, qui immoderatè, vituperatur. Ubi autem locum habet laus & vituperium, ibi & virtus. 3. Quia eadem est honorum, quæ pecuniarum, ratio, cum utrumque existat Fortuna & bonum. Sed in pecuniâ tractandâ alia virtus circa mediocres, alia circa magnos sumtus est occupata. Ergò etiam in honorum appetitu alia virtus circa magna, alia circa parvos versatur honores.

4. §. Actus modesti, ex quibus ejus officium discimus, sunt quantum: 1. Legitima honorum mediocriū acquisitio. Ubi tres circumstantiæ veniunt attendenda: (1) est rerum & factorum, ex quibus honores oriuntur: utpote bene administrata Republica, honesta militia, virtus, studia bonarum artium, aliæque actiones, quæ laudem & honorem merentur. (2) Circumstantia explicat modum. Experendi sunt honores non vi, dolo, aut fraude, non metu & crudelitate, non largitionibus & corruptelis, non calum-

niis; sed legitimis mediis. 3. Circumstantia est Quantitatis. Cavidum, ne honores affectemus maiores, quam virtus & facta exi-
gunt.

5. §. Secundus modesti actus est acquiescentia in debitis hono-
ribus. Modestus altioribus retia non tendit; nec inani curiositate:
aut vanâ persuasione sapientiæ & prudentiæ alienis se immiscet ne-
gotiis, vel supra suas vires se effert, sed intra vocationis suæ termi-
nos se continens oblatis honoribus acquiescit.

6. §. Tertius actus est conservatio ac defensio mediocrum
honorum. Modestus, quia rationem bonæ famæ & existimatio-
nis habet, honorem sibi delatum legitimis rationibus contra Sy-
cophantarum calumnias tuetur ac conservat.

7. §. Modestia est cognata Humilitas Christianorum, quâ quis
propria modestè extenuat, & submissè se gerit, a interdum aliquid
de suo jure remittit in Dei gloriam & Ecclesiæ commodum.

8. §. Circa extrema norandum, quòd non nunquam in bonam
partem accipiantur pro ipsa virtute. Nam Φιλολυία seu ambitio,
aliquando denotat moderatam honorum expetitionem, & ita po-
nitur pro modestia. Unde Φιλότης idem est, quod Φιλένα-
λησθεντια, honoris studiosus. Pari modo & αὐτοπρία interdum
sumitur pro moderato honorum contemtu, & ita stat pro mode-
stiâ. Hinc αὐτοπρία dicitur, qui non est ambitiosus, sed
moderatus in expetendis honoribus.

QUÆSTIONES.

Questio Prima.

An honor potius negligi, quam defendi de-
beat?

1. §. Affirmamus posterius. Nam primò honor est virtutis
præmium. Ergò meritò magnificiendus, & contra calumnias,
quantum licitis mediis fieri potest, acerrimè defendendus. Si
virius magnificienda, quæ felicitatis viam monstrat, etiam honor,
qui propter virtutem alicui tribuitur, magnificiendus. Ergò le-
gitimo modo honor defendendus est.

2. §. Deinde quia crudelis æstimatur erga semetipsum, qui fa-
mam suam negligit. Ergò etiam ita habendus, qui honorem suum
adspet.

adspennatur. Nam honor est bonæ famæ causa. Tertio quia ho-
nor comparatur cum virtù juxta tritam Juris consultorum regulam:
Vita & fama pari passu ambulant.

3. §. Tandem quia infamia unicuique; quantum fieri potest,
est fugienda. Hinc optimè adsimilatur morti. Ut enim is, qui
diem suum obit, in conspectu hominum esse desinit: Ita qui infamia
laborat, in publicum prodire non audet. Ergo vi contrariorum
honor necessariò venit defendendus.

4. §. Prorsus verò aliud est, ubi potentiores contra quos nul-
la defensio valet, virum bonum præmiis virtutum spoliant. Ni-
hilominus tamen honor splendet, suoq; decore semetipsum susten-
tat, cùm conscientia bona virtuti latis amplius existat theatrum.

Quæstio Secunda:

Num honor sit individuus virtutis comes?

1. §. Affirmamus certis adhibitis limitationibus. Honor
viro bono ex merito semper debetur, si non de facto tamen de jure,
quia virtus sæpiissimè externo paupertatis velo, non secus ac sol ob-
ducitur nubibus, occulatur, ut ab aliis videri nequeat.

2. §. Vir bonus externo honoris, ut ex ultimo præcedentis pa-
ragrapho elucet, signo potest privari, neutquam honoris, ex qui-
bus vir bonus judicatur, meritis. Nam in semetipso virtutes, quibus
prudentes ad illum amandum alliciuntur, possidet. Hinc viri bo-
ni dicitur Bonum, quia ejus causam in se habet.

3. §. Honor est ejusmodi virtutis præmium, quod tantum à
viro bono, tanquam legitimo judice tribuitur. Igitur quamvis plu-
rimi præconceptis opinionibus & malis affectibus impediti hono-
randos non honorantur, tamen honor inseparabiliter virtutem se-
quitur respectu recte sentientium.

4. §. Honor sequitur virtutem, sed non eodem modo. Quo-
rundam virtus sub ipsis initis habetur in honore: aliorum non
suscipitur nisi aucta & perfecta: denique videoas aliquos non prius
honoratos, quam esse desierint. Tunc enim homines, qui, ut Ve-
nustinus eleganter ait, virtutem incolorem oderunt, sublatam ex
oculis querunt.

Quæstio Tertia:

Num honores emere liceat?

1. §. Simpliciter hoc negandum, quia turpisimum est viro

B. 35.

probo.

probo honores non virtute mereri. *Virtute ambire decet*, inquit *Comicus, non favoribus.* Perniciosum est Reipublicæ honores habere venales. Hoc enim ansam præbet ambitionis, ut per largitiones ad Magistratus ascendere laborent: honoribus obtentis quæsum faciant ex suo Magistratu, ut id, quod in largitiones insument, restituatur. Quales nundinæ hoc efficiunt, ut majore interpretio sint divitiae, quam honores, & tota civitas huic studio supremum incumbat. Id ubi sit, ibi pessum it Republica ob fundatum, nimisum justitiam, quæ hic exulat.

2. §. Ita erroris accusantur distinguentes inter officium & officij redditus. Non prius, sed posterius posse emi asserunt. Certè utrumque nefas est emere, quia nisi quis legitimè fuerit vocatus in officium, temerario ausu semetipsum intrudere haud debet. Redditus autem ab ipso officio nullo modo separari possunt.

Quæstio Quarta.

An ad verum honorem sufficiat unius hominis testimonium?

1. §. Affirmatur, si vir probus honorandum rectè norit. Nam ejusmodi est judicium rectè conformatum, mensq; rectè disposita, juxta quam non nisi bene meritos honore afficere didicit. Deinde quia in uno illo prudenti viro, tanquam in speculo, omnes huic similes intuemur; una enim sententia omnium proborum.

2. §. Honoris verò illustrationem quod attinet seu confirmationem & auctoritatis incrementum, non unius, sed plurium calculis opus est. Hic enim fama, quæ multorum constat testimoniis, habet locum.

Quæstio Quinta.

An virtute præditus semper honore dignus?

1. §. Sunt, qui existimant, virum bonum per aliorum contumelias atque obrectationes honoribns suis posse spoliari, nec exceptum recuperare, nisi pari aut majori injuriâ rursus illatâ. Quo medio tantum abest, ut honorem suum, quem nunquam amisit, defendat, ut potius magis eo se privet, sequi eo dignum esse pronunciet. Interim hoc in casu viro virtuoso est laborandum, ut se injustè à malis læsum justè vindicatum esse adstantes intelligent.

2. §. Quæsum quadruplex affirmat ratio: i. quia in virtuoso manet virtus, ejusque actio. Ergo & honor. Nam positâ causâ

merito-

meritoria, vñ virtute, sequitur effectus, h. e. honor. 2. quia calumnias
virtus non eripitur. Ergo neque honor. 3. quia nulla turpitudo
ex verbis ignominiosis descendit. Quamvis virtuosus præter me-
ritum ab alio aliquâ injuriâ afficitur, non tamen redditur honore
indignus, sed majori honore dignus. Imprimis ubi calumnias pa-
tienti fert animo. 4. quia solum vitium morale hominem hono-
re privat, vir autem probus quia vitius destitutus est, nullo modo
honore sit indignus, nisi prius destinat esse vir probus, & cupiat
fieri malus.

Quæstio Sexta.

**Utrum virtuosus ob parentum vel consangvineorum
improbitatem indignus honore censeri queat?**

1. §. Negamus, nisi quis occasionem ad suorum improbitatem
atque infamiam aliquo modo præbuerit. Interim honor viri probi
ob suorum infamiam obscuratur. Rationes negandi sunt haec: 1.
quia nemo alterius odio prægravari debet. 2. quia filius non est
subjiciendus paterno oneri. 3. quia nemo ob alterius, sed suas tan-
tum actiones honore indignus censemur. 4. quia nemo tenetur
reddere rationem eorum, quæ in suâ potestate non sunt.

Quæstio Septima.

Num homo pravus honore affici queat?

Negatur. Nam qui virtute, eruditione & bonis animi destitui-
tur, nullo planè honore dignus judicatur, cum honor sit externa
significatio, quæ ab honorante proficiscitur ob interna animi bo-
na. Pravus virtute destituitur. Ergo etiam honore.

Membri Tertij

Præcepta.

1. Mansuetudo est virtus moralis, quæ servat medio-
critatem circa iram.
2. Ejus extrema sunt Iracundia & Lentitudo.
3. Iracundia est vitium morale, quod in excessu pec-
cat circa iram.
4. Lentitudo est vitium morale, quod in defectu
peccat circa iram.

Expli-

Explicationes.

1. §. Commodè hæc virtus excipit virtutes circa opes atq; homines occupatas, cùm nemo in communi vitâ divitias atque honores rectè possit tractare, nisi internis affectibus modum præscribat, & sit iræ sedatae & moderatae.

2. §. Mansuetudo dicitur, quasi manu suetudo, id est manu facta assuetudo. Nam mansuetum dictum fuit, quasi manu assuetum, quod omnia, quæ sunt naturâ fera, manum permulsione mitescant.

3. §. Acepitur tripliciter: 1. Generaliter pro cicuri & placido, quod à fero discernitur, eiique opponitur. 2. pro lenitidine, quæ est Mansuetudinis extreum. 3. pro virtute morali inter Iracundiam & Lenitudinem medium servante.

4. §. Ejus synonyma sunt, placabilitas, placiditas, facilitas, lenitas, humanitas & clementia. Notandum, Mansuetudinem & Clementiam differe, ut latius & angustius. Latior est Mansuetudo, quæ in privatis hominibus lenitas & placabilitas, in principibus clementia dicitur.

5. §. Objectum est geminum, Internum atq; Externum. Internum ira, affectus vehementissimus, rationem subito perturbans. Quam Mansuetudo debet moderari, ne animum hominis abripiat, modumq; excedat. Externum sunt injuria, damna, affectiones, contumelia & omnia illa, quæ iram atque indignationem homini excitare possunt. Cum primis ad iram non commovet contemptus, ex quo ira resultat.

6. §. Circa modum tractandi legitimè objectum duo sunt observanda: 1. Causæ, ob quas irascendum: 2. Circumstantiæ personarum, modi & temporis. Irascendum est non ob lanam caprinam, sed legitimas, justas & graves causas, quales sunt, quæ pertinent ad defensionem cultus divini, patriæ, conjugum, liberorum, legum, libertatis, famæ, existimationis & similium. Huc quadrant exempla Mosis Hebræo contra Ægyptum auxilium ferentis, & Eliæ Baaliticis indignantis.

7. §. Quoad personas non cuivis est irascendum, non superiori & bene de nobis meritis, non iis, qui invitè & per imprudentiam labuntur, h.e. absq; malitioso proposito damni alicujus auctores evadunt, nosve offendunt: non delictum agnoscentibus, veniamque deprecantibus; non scurris aliisve in bonos conviciis debacchantibus

tibus, sed unicè improbis ac sceleratis, quos petulantiae ac scelerum suorum nec pudet, nec pœnitet.

8. §. Circa modum quinq; sunt tenenda: 1. Cavendum, ne pri-
mus iræ impetus nos abripiat, ut agamus, cuius post nos pœnitere
queat. 2. Videndum, ne vindicandi cupiditate vici aliquid com-
mittamus, quod cum honestate & rectâ ratione pugnet, nobisque
periculum adferre queat. 3. Attendendum, ne simus nimium perti-
naces in placando, sed potius faciliores ad ignoscendum, quam ad
vindicandum, considerantes miseram humanæ fragilitatis, multis
lapsibus obnoxiae, conditionem. 4. Cogitandum, Deum quotidiè
nobis graviora condonare, atq; hinc nostrarum esse partium, ut
vicissim alijs leviter peccantibus ignoscamus. 5. Sedulò studendum
ne ira culpam supereret, sed sit proportio inter utrumq;. Nam qui gra-
vius sese ulciscitur, quam debet, causam suam reddit deteriorem.

9. §. Circa tertiam circumstantiam queritur, quando & quam-
diu irascendum. Quoad prius non est irascendum in puniendo,
quia iratus ad pœnam accedens nunquam mediocritatem tenebit,
quaè est inter parum & nimium: non in seriis consultationibus,
quia ira est inimica consilio: non tempore letitiæ, quia ibi frons
nubibus tristitiae liberanda: non nimis tardè in gravioribus, ne ad
illa connivere, vel ea planè diffinulare videamur: non nimis citò
in levioribus, & non satis cognitis, præsertim antequam altera pars audiatur.

10. §. Iram non diu esse alendam, sed tanquam infelictum fæ-
cum in primâ conceptione suffocandum, præcepta salvatoris Lucæ
17. v. 4. & Apostoli ad Eph. 4 v. 26. docent. Ratio, quia ira dutius
retenta magis crescit, animumq; excruciat, ita ut tandem in odium
degeneret.

11. §. Tandem ad excessum & defectum. Iracundia partibus suis
absoluta intolerabile est vitium. Hinc sæpe tales, vel extinguntur,
vel in gravissimos ruunt morbos. Estejusmodi vitium, quo vehe-
menter irascimur iis, quibus non oportet. Notandum, differre iram
atq; iracundiam. Ira est motus: iracundia ad iram proclivitas. Ira-
tus, qui actu irascitur. Iracundus, qui facile ad iram impellitur.

12. §. Species Iracundiæ sunt Excandescientia, Amarulentia,
atq; animi asperitas. Excandescientia est vitium, quo subito & ob
levissimam causam vehementius irascimur, quam oportet. Pro-

primum excandescens est, citò irasci, sed facile & statim iracundiam deponere. Hoc si non fieret, evaderent crudeles & feroce.

13. §. Amarulentia est vitium, quo tardius quidem irascimur, iram verò conceptam tam diu occultè fovemus, donec vel vindicta secura fuerit, vel temporis diurnitate cocta. Audit quibusdam ira inveterata. Hoc vitio laborantes existunt morosi difficiles & molesti ijs, cum quibus versantur.

14. §. Deniq: animi asperitas (*alias difficultas dicitur, ferocitas & crudelitas*) est ira gravis, pertinax atque aperta, quæ absq: vindicta placari nequit. Hoc vitio laborantes existunt feroce & crudeles erga eos, à quibus offenduntur. Hæc omnium est pessima.

QUÆSTIONES.

Quæstio. Prima.

An omnis ira sit reprehendenda?

1. §. Negatur: 1. quia ira attribuitur Deo, qui peccatis nostris graviter irasei dicitur. Si autem ira in se esset culpabilis, Deo non trahueretur, cùm in ipsum nec vitium, nec vitio quid analogū cadere queat. 2. quia ira est naturale quidpiam, adeoq: non vitiosum. 3. quia ira est fortitudinis quasi cos, vires ad propulsanda mala suggerens, animosq: ad ebeunda munia gravissima, & res magnas suscipiendas instigans. Hinc in sacris legimus, viros fortissimos extitisse iratos. 4. quia ira ab omni statu seu Ecclesiastico, seu Politico, seu Oeconomico maxime requiritur. Unde exemplo Eli pœnam incurvunt gravissimam, qui justas ob causas non irascuntur. §. quia per se honestum & laudabile est irasci, quas ob causas decet, ut è contrario turpe est non irasci, quando, quibus, quomodo, quamdiu & quas ob causas debet,

Quæstio. Secunda.

Utrum in conviviis sit irascendum?

Nullo modo. Liquet hoc ex conviviorum fine. Convivia enim non sa' tem ad alendum, sed ad animum reficiendum potissimum spectant, ut societas civilis felicius exerceatur. Hinc olim Cretenses in publicis locis epulabantur, ut mutuam benevolentiam palam testarentur.

Quæstio Tertia.

Utrum omnibus rebus ob damnum illatum sit
irascendum?

Nono

Non paucos s̄epissimē invenias, qui inanimatis & brutis, animo injuriandi destitutis, irascuntur, ita ut ad iram concitati ea ad pœnam trahant, protiusque interficiant. Verū ubi nulla ratio, ibi neque jus, neque injuria, neque delictum. Quid? quod his actionibus tantum risum sapientioribus moveant. Deridetur Xerxes, quod mare flagellari jussit: Pheron, rex Ægypti, quod sagittam in medias fluminis voragini contorserit.

Quæstio Quarta.

An vindicta injuriarum sit licita?

Distinguimus inter vindictam publicam & privatam: illa concedenda, hæc repudianda. Sub publicâ vindictâ comprehenduntur omnis moderata castigatio, punitio & vindicatio. Hujus loci est vindicta Magistratus in subditos, dominorum in servos, parentum in liberos, omniumque superiorum in inferiores.

Quæstio Quinta.

Num delictum excusandum, quod ex iracundiâ fuit commissum?

1. §. Negamus. Nam si hæc iracundia in delictis excusanda, raro delinquentes forent puniendi, cum plurima homicidia atque alia delicta frequenter hæc viâ commissa & audiamus & legamus. Interest Reipub: omni curâ providere, ne maleficia maneat impunita. Vigor publicæ disciplinæ suadet, pœnas à maleficiis sumendas.

2. §. Nihilominus est videndum, num hæc iracundia ex iusto dolore, an verò ex levissimâ aliquâ causâ, vel naturæ vitio descendat. Priori incitatus mitiori pœnâ plectendus, quia difficile est, justum animi dolorem temperare: posterior ordinariâ pœnâ dignus censetur, quia ejusmodi homo semetipsum sponte furorū tradit, dum affectibus, quos moderari & potest & debet, frenum laxat, & dominium contra rectæ rationis judicium relinquit.

Quæstio Sexta.

Utrum facilius sit iram, quam voluptatem, habere?

1. §. Ira pessimus hostis, voluptas blandus inimicus, uterque animatus

animam rationalem hostiliter impugnat. Ira instar sanguinis bestiarum omnes rectas rationis habenas excutit: voluptas hominibus suayissime blanditur. Ut sit, facilius tamen iram, quam voluptatem esse coercendam, sequentia stabilunt.

2. §. Vitium innatum cohibetur difficilis non innato. Nam quod quid diutius ad hæsit, ut est omne naturale, non tam facilè evelli potest. Ita sese habet voluptas, quæ cum matris lacte hauritur. Ergo difficilis cohibetur.

3. §. Omne vitium, quod altero magis molestum, facilis corrigitur, quia homo, duce natura, molesta adversatur, iisque majoribus viribus, quam rebus jucundis resistit. Ira est homini magis molesta. Hæc enim ubi in corpore humano concitat sanguinem, & spiritus acriter commovet, homini molestiam exhibet: contraria voluptas jucundis suis titillationibus suaviter afficit, illumque instar Sirenum suis incantamentis allicit.

Questio Septima.

An Iracundia sit deterior, quam Lentitudo?

Utrumque malum est. Indulgentia blanda, & implacabilis severitas: illa laxat habenas, hæc nimium adstringit. Iracundia tamen deterior magis lentitudini aduersatur, quod circa hanc homines crebrius delinquent. Deinde quia iracundia minus est apta ad conservandam inter homines civiles societatem, cum tamen homo ad conversationem natus virtuti studere ^{debet} oporteat, ut civilem societatem atque amicitiam conservet. Iracundi enim omnibus ponderis causam vitæ suæ nocent, amicitiam, concordiam & societatem lœdunt. Qui autem sunt hujus farinæ, hos quilibet aversatur cane pejus & angue. Lenes vero & placidi à quovis libenter excipiuntur. Hinc sequitur, iracundiam lenitudine esse deteriorem.

F I N I S.

05 A 2394

ULB Halle
003 784 55X

3



VD 04

84





FarbKarte #13

B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue
Centimetres
Inches

Ex Practicâ Philosophiâ
de
Magnanimitate, Modestiâ
& Mansuetudine,
Duce Deo & Preside
M. MICHAELE WENDELERO,
Facult. Philos. Adjuncto,
Johannes Cadener Pirnensis
publicè disputabit
ad diem 12. Januarij horis matutinis
in Auditorio minori.

WITTE BERGÆ,
Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.
Anno M DC XXXIX.